

Visus est Plautus integro versu ditari Ambrosiani beneficio:

Prófecto ut ne quóquam ingenio dégređiatur múliebri: sic enim una *de* vocula deleta numeris esse consultum sibi persuaserunt. Et tamen ne hoc quidem in loquendi genus Plautinum convenit: quod postulat in talibus praepositionem. Quocirca valde suspectum Trinummi v. 265 *quasi saxo saliat* pro *de saxo*. Et in ipsa Milite non potuit II 3, 33 *recipiat se pabulo* dici: ubi non *e pabulo* cum Camerario scribendum, sed cum Bothio *a pabulo*. Nec recte eiusdem scaenae v. 37 se habet *illac haec se hospitio edit foras*: pro quibus ex optimorum librorum vestigiis *illac hec sumntospicio, illac haec sum ospitio, illachee se ospitio*, efficitur *illa ex suo se hospitio eduxit foras*: nam *eduxit* ut a Lambino asciscatur, non *dedit* a Lipsio nec *edidit* a Grutero Bergkioque, numerorum concinnitas suadet quam Proleg. Trin. p. CCX. CCCXXVIII Bentleio duce commendavimus. Sed in Ambrosiani illo versu multo etiam gravius, non editores, sed artis peritos offendit pravissimo accentu positum atque in prima syllaba productum *profecto*. Quod vitium ne defendas vitio, sciendum est Militis septenarium II 3, 19, qui talis est in codicibus, numeris omnino nullis:

SC. Profecto uidi. PA. tutin? SC. egomet duobuf hif  
oculif meif,

aut sic esse instaurandum:

SC. Pól profecto uídi. PA. tutin'? SC. égomet his  
oculís meis —

aut similiter. Praeterea quid est tandem in Ambrosiani additamento illo, quo referre *earumque* possis in proximi versus principio consequens? Quod spectare ad *mulierum* apparet, non ad *muliebri*. Nec vel eis opera ullo modo successit, qui ab interpolatorum codicum h. e. a Vaticani *D* memoria *Parumque profecti Paret* invexerunt, vel his qui ea voce prorsus eiecta hanc totius versus speciem commenti sunt:

Artem et disciplinam obtineat et colorem. PE. quem-  
admodum?

Nam praeterquam quod ad sententiam mire languent et tanquam claudicant subiecta *et colorem* verba, nec *et* est in ullo